UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Novissima Polyanthea, In Libros XX. Dispertita

Dominicus

Francofurti, 1613

Omnis

urn:nbn:de:hbz:466:1-97211

Visual Library

aquatica odorem ſentire, & quæ ſanguinem habent, quæ non habent, vt quæ in aere, quædam enim eminus accurrunt ad alimentum odore mota. *Ariſt.2 de anim.c.5.text.97.*

Olfacit ſolum homo, cum anhelans reſpirat, ſed expirans, aut retinens ſpiritum, non odorat, neque eminus, nec cominus, etiamſi in naſum intus ponatur. *ibid.tex.98.*

Olfactus eſt ſenſus odorabilis, & male olentis & bene olentis. *ibidem ſ.99.*

Olfactus ſenſus in homine differt ab hoc ſenſu in cæteris animalibus, vt oculi ipſius ab iis, quæ habent oculos duros. *Ariſtot. 2. de anim.c.5.tex.97.*

Olfactus inſtrumentum tale eſt potentia, qualis eſt actu res odorata, actu iam odoratur, non potentia amplius, ſed actu eſt *Them. in 2.de anim.c.38.tex.*100.

Olfactus caliginoſo aeri, vaporibusque ex aere & aqua mixtis omnino aſſignatur: quia inter aures & linguam, quaſi aerem & aquã poſitus vapores eos apprehendit facile, & diligit maxime, qui ex aeris & aquæ mixione proueniunt, quales ſunt herbarum, florum, pomorum odores naribus ſuauiſſimi. *Fic.in Pla.conuiu.or.5.c.2.*

Olfactui intimæ venæ quæ ſeruiunt, non habent integram cum elementis vel ſolide mixtis proportionem, nam anguſtiores ſunt ad aquam & terram, & ad omnia, in quibus duo hæc dominantur, patentiores autem ad ignem & aerem, atque illa, quæ ferme ſimiliter ſunt tenuia, ſed proportionem potius habent, ad fugaces exhalationes quasdam à compoſitis facile diſſolubilibus euolantes, craſſiores quidem aere, tenuiores autem aqua, & has perſentit varietate quadam confuſa. *Fic.in Plat.conuiu.or.5.2.*

¶ SIMILITVDO.

Eraſmi Roterodami. Vt momus tauri opificem Deum carpſit: quod non præpoſuiſſet oculos cornibus, vbi maxime erat opus: Ita perperam faciunt, qui coronam in vertice ponunt, cum ſub naribus magis apponi conueniat, vt plurimum voluptatis ex odore poſſint haurire. *in Simil.*

Omen.

¶ DEFINITIO. ET ETYMOL.

OMen, Augurium, quod fit ore quaſi Oremen, teſte Feſto & Varrone. Eſt enim rei futuræ enunciatio, ori hominis inciens, diuino tamen id Numine procurante. *Cic.1.de Diuin.* Neque ſolum Pythagorei Deorum voces obſeruarunt, ſed etiam hominum, quæ vocant Omina: quæ Maiores noſtri quia valere cenſebant, idcirco rebus omnibus agendis quod bonum, fauſtum, felix, fortunatumque eſſet, præfabantur. Græc. *οἰωνὸς, κληδὼν, φήμη, σύμβολον οἰώνισμα.* Hebr. *Nachaſc*, à verbo *Nicheſch*, auguratus eſt, augurium fecit, diuinauit, ominatus eſt. In malam partem ſumitur, & de auguriis atque incantationibus, vbi diuinatores per murmura verbis conceptis multa ab ominis mali fonte hauſta prædicunt futura.

¶ APOPHTHEGMATA.

Dionyſius. Cum magiſtratus per literas ſorte crearentur, & ipſi contigiſſet litera μ, dicenti cuidam per iocum, *μωρολογεῖς*, id eſt, ſtulta efferes, Dionyſi. Imo, inquit *μοναρχήσω*, monarcho ero. Et adeptus magiſtratum, protinus Imperator electus eſt à Syracuſanis. Magni erat animi, quod illo ioco non offenderetur, contentus omen literæ ſecus interpretari. *Plut. in Reg. apoph.*

P. Æmilius è foro domum reuerſus, cum filiam puellam nomine Tertiam reperiſſet lachrymantem, rogauit quid haberet? reſpondente, Perſeus nobis interiit (id erat nomen catelli, quem puella habebat in deliciis) Sit felix, inquit, ô filia! omen accipio, moxque in bellum profectus, pulcherrimum de hoſte triumphum egit. *Plut. in apoph*

Nero. In Oedipode fabula, quam Nero nouiſſimam recitauit, in hoc verſu deciſiſſe legitur:

Θανεῖν μ᾽ ἄνωγε σύγγαμος, μήτηρ, πατήρ.
Iuſſit mori me mater, Vxor & pater.

Nam & Oedipus patrem occiderat inſciens, matrem vxorem duxerat: Ita Nero ſciens Claudium patrem occiderat, matrem conſtupratam interfecerat, & Octauiam vxorem indignis tractarat modis. *Sueton. in Nero.*

Otho Imper. Cum in augurando tempeſtas eſſet orta, atque ipſe grauiter eſſet prolapſus, identidem obmurmuraſſe dicitur: *τί μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς*: id eſt, quid mihi cum longis tibiis? Sentiens, ſe fruſtra ſacrificiis & piaculis conari placare manus Galbæ. *Sueton. in eius Vita.*

¶ ADAGIA.

Bene ſit. *καλῶς ἔσω.*

Ominis Vox, cum quis rem quampiam nouam & arduam auſpicaretur. Quod fauſtum felixq; ſit.

Cum Muſis. *μετὰ Μουσῶν.*

Id eſt, Muſis bene fortunantibus. De doctis aut iis, qui docti di... cuntur.

Adſint Dii beati. *Σὺν δὲ θεοὶ μάκαρες.*

Id eſt: Felices adſint ſuperi. Sermo eſt bene ominantis rem qua... piam aggrediunda. Das walte Gott.

Mercurio dextro.

Heſychius indicat, veteres in iactis quodam ſolere omnes gratia præfari Mercurium. Per iocum vſurpare licebit, vbi quid aggredimur noui.

In morbo conſumat. *Seneca.*

Poteſt ab amico dici, qui nolit deeſſe amico, quod impendat, ſi morbus inciderit. Poteſt & ab inimico, qui malo viro morbum optat.

In tuum ipſius caput *Demoſthenes.*

Quoties in authorem mali malum retorquetur aut incidet... ti dicunt: εἰς τὴν αὐτοῦ κεφαλήν.

Omnis.

¶ DEFINITIO: ET ETYMOLOG.

OMnium obſeruatio contactu aliquo religionis innexa eſt ... niam non fortuito metu, ſed diuina prouidentia conſtare ... ditur. *Val. Max. l.1.c.5.*

¶ LOCI BIBLICI.

Omnes pro multis, 1. *Cor.*14.V.31. *Philip.*2. *v.*21. pro quibusvis... definite, 2. *Reg.*8. *v.*9. *Matth.*4.23. & 7.V.8. & 5. *v.*11. & ... 17. & 10. *v.*12. *Ioan.*12. *v.*32. 1. *Tim.*2. *v.*4. Omnis interdum ... totus, *Marc.*2. *v.*13. Omne, pro prefecto & cumulato, *Rom.* ... Sic capitur hæc particula, & 1. *Cor.*13.V.2. *Epheſ.*1. *v.*3. Omnes ... cœlo ſunt, hyperbole familiaris, *Deut.*2.V.25. *Act.*2.5. Omnes ... mur ad tribunal Chriſti. *Rom.*14. *v.*10.2. *Cor.*5.Ver.10. Omnia ... *Act.*17.V.27.2. *Cor.*5.V.18. Omnia in primitiua & naſcenti ... morum Eccleſia communia erant, *Act.*2.V.45. & 4.V.32.34. Omnia in Chriſto condita, *Ioan.*1.V 3. *Coloſſ.*1.V.16. *Heb.*1.V.2. & ... nia piis à Deo data, 1. *Corinth.*3.V.22. omnia in Dei gloriam ... Chriſti nomine facienda, *Coloſſ.*3.V.17. omnia per Chriſtum ... ta, *Epheſ.*1.V.10. omnia munda mundis, *Tit.*1.V.15. omnia ... ritualibus, & vitæ ſpirituali poſtponenda, *Matth.*18.8. *Luc.* ... V.33. *Ioan.*2.V.25. omnia Deo poſſibilia, 19. V.26. *Marc.*10. ... 37. omnia credenti poſſibilia, *Marc.*9.23. omnia probanda ... V.21. omnia Chriſto ſubiecta. *Matth.*11.V.27. & 28.V.18. *Ioan.* ... *Cor.*15.V.27. *Heb.*2.V.8. Omnia Deo tribuenda, *Rom.*15.V. ... 6.7.10.2. *Cor.*3.V.5. & 4. V.7. *Iacob.*1.V.17. omnia ad ædificationem fiant, 1. *Cor.*14.V.26.40.

¶ PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Omnis non vniuerſale ſignificat, ſed quod vniuerſaliter. *Ariſt. περὶ ἑρμ. lib.*1.*c.*5.

Omnis ſignificat prædicatum dici de omnibus comprehenſis ... ſpecie indiuiduis. *Amb. in lib. de inter.*

Omnis ſignificat vniuerſalem multitudinem, quæ ſub ſubiecto comprehenditur, à ſingulari autem articulo vnam ipſius naturam ... multitudine profecta *ibid.*

Omne dictum eſt, quod omnia complectitur: nullum quod ... hil. *Mag. in lib. de interp.*

Omnis & nullus ſigna diſtributiua non ſignificant modum vniuerſitatis abſolute, ſed applicationem termino diſtributo. *Tho. ... vio. in peri her.*

Omnia quodammodo ſunt in omnibus pro conditione eorum ... quibus inſunt. *Porph. de occaſi.*

Omnia in omnibus ſunt, proprie vero in vnoquoque. *Procl. elem. Theo. prop.* 103.

Omnia qui ſequitur, nihil aſſequitur. *Fic. epiſt. lib.*3.

Omne quod mouetur, ab alio mouetur. Falſa eſt propoſitio in rebus corporeis *Ioan. Franc. Pic. Mirand. exam. var. doct. gent. lib. ... cap.*18.

¶ ADAGIA.

Latum & anguſtum. *ποιεῖν τὸν δῆμον εὐρὺν καὶ στενόν. Ariſtophan.*

Appoſite torquebitur in eos, qui adoleſcentes recte docent, aut ſi... cus, qui ne populo recte concionantur, aut ſecus.

Ioca ſeriaque.

Quoties omnia noſtra cum aliquo communicamus, cum eo ioca ſeriaq; conferre dicimur. Cic.

Nec animans nec inanime. *πάντα τά τ᾽ ἔμψυχα καὶ τὰ ἄψυχα.*

Vtemur, cum nihil omnino excipiendum ſignificamus.

Pueri ſenesque.

Omnium quos ſol videt.

Sunt & illæ figuræ prouerbiales: Omnium quos terra ſuſtinet, quos ſol videt, peſſimus optimusue.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN